



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

**Parisiis, 1644**

Concilium Alexandrinum Ex Catholicis Episcopis Alexandrinae ecclesiae in  
causa Athanasii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15072**

stantii, qui est Christi 338. Laodicæ in Syria cum Athanasio disputasse scribitur, ab hoc, de quo nunc agimus, alius fuit: forte is, qui in Sardicensi Concilio nominatur.

ANNO  
CHRISTI  
337.

Titianus  
collega Feliciani.

<sup>a</sup> Feliciano & Maximiano consulibus.] Maximinus siue Maximianus Feliciani collega perperam hic & apud auctorem libri pontificalis collocatur, quia Cassiodori & Græcorum factorum consensu Feliciano non alius quam Titianus collega iungendus est. Sanctio & lex Constantini imperatoris I. de contrah. empt. cod. Theodof. hoc anno data, & dictis consulibus Feliciano & Titiano consignata, hoc quod diximus plurimum confirmat. Vide Baronium anno 337. numero 1. & 67.

<sup>a</sup> CONCILIVM <sup>b</sup> ALEXANDRINVM  
EX CATHOLICIS EPISCOPIS  
Alexandrinæ ecclesiæ in causa Athanasii.

ANNO  
CHRISTI  
339.

NOTÆ.

Athanasius  
ab exilio  
reuocatus  
vicissim ab  
Eusebianis  
accusatur.

<sup>a</sup> Concilium.] Cum Constantinus imperator voluntatem patris defuncti executus Athanasium biennio exulantem ecclesiæ suæ restituisset, reditum illius Ariani indigne admodum ferentes, veteribus calumniis tres alias nouiter excogitatas addiderunt hæc: primum, quod reditus illius omni populo ingratus fuisset, cædesque plurimorum concitasset: secundo, quod a Synodo damnatus absque synodali decreto temere & contra Canones sedem recipere præsumpsisset: tertio, quod frumentum ex liberalitate imperatoris Ægypti ac Libyæ viduis exhiberi solitum surripuisset. His commentis instructi ad Iulium Romanum pontificem, sicut etiam ad occidentalis imperii imperatores Constantium & Constantem, legatos quosdam ex suis ablegarunt, qui spuria illa acta Tyri secum deferentes, eaque Iulio pontifici offerentes, peterent vt Athanasii condemnatio Tyri facta rata ac firma haberetur. Quod cum orthodoxi episcopi Alexandrinæ ecclesiæ rescuiissent, subito congregati, accusationes Arianorum nouas simul ac veteres ad examen & iudicium vocarunt, dum accusationes eorum calumniis plenissimas esse animaduertissent, utilissimum fore iudicarunt, vt ad legatos Arianorum refutandos, suos ipsi etiam ablegarent, eosque synodali epistola aduersus omnes Eusebianorum accusationes, tam veteres Tyri productas, quam etiam nouas ab iisdem recens excogitatas, scripta instruxerunt & confirmarunt. Quos cum eodem tempore simul Romæ & apud imperatorem cum Arianis præsentibus esse contigisset, mendaciis Arianorum vtrobique refutatis, de hoste prostrato ac deuicto apud imperatorem & pontificem gloriose admodum triumpharunt. Ad pudorem quo suffundebantur aduersarii minuendum, ad Concilium aliud subito prouocarunt. Hæc Baronius anno 339. ex

Ariani mittunt legatos ad pontificem & imperatorem.

Concilium Alexandrinum mittit legatos catholicos in causa Athanasii ad eosdem.

ANNO  
 CHRISTI  
 339.

epistolis duabus, quarum altera est Iulii pontificis ad Arianos scripta, & ex Athanasio superius inter alias Iulii epistolas collocata, altera vero est synodica huius Concilii. In qua cum omnes calumniae Athanasio ab Eusebianis obiectae enumerentur, & egregie confutentur, lectori gratum fore arbitrati sumus, si eam quantumvis prolixam hic subiungamus.

<sup>b</sup> *Alexandrinum.*] Sic dictum ab Alexandria vrbe, de qua Georgius <sup>Alexandriae</sup> <sup>urbis de-</sup> <sup>scriptio.</sup> Brunus vir doctissimus in suo theatro urbium haec scribit quae sequuntur: *Alexandria Aegypti magna & illustris ciuitas, quam Strabo lib. 14. geographia urbem potentem ac populosam nominat, ante salutarem Iesu Christi aduentum annis viginti supra 300. ab Alexandro Macedone, Iustino attestante, condita & cognominata, omnium Alexandriarum, quarum in historiis passim plures quam septemdecim (ut Eustathius perhibet) enumerantur, maxima & opulentissima. Quam ob cultum diuinum illic florentem plebisque sanctimoniam non infrequenter paradysum Domini veteres nuncupant. Hanc Augustus Caesar post deuictum Antonium triplici de causa se conseruasse est factus, ob Alexandri (cuius corpus reuerenter ibidem sepultum fuerat) memoriam, pulchritudinem urbis, & propter Arium philosophum, qui in vniuersitate Alexandrina professor, magno apud Augustum in honore fuit. Et post alia praecleara urbis clogia haec subdit: Vniuersitatem omnium artium liberalium scholis illustrem habuit: Marcus fidelis Iesu Christi euangelista, a quo fidei religionisque Christianae prima elementa acceperunt, ecclesiasticam scholam instituit, cui doctissimi semper viri praesuerunt: Pantenus ille, qui ut equus quidem Troianus optimos ecclesiae palmites produxit: deinde Origenes, quem ibi talem se vidisse testatur Porphyrius, qui arcem totius philosophiae conscendisset. Celebritatem non infimam addit urbi, quod ad petitionem Ptolemaei Philadelphi regis Aegypti, & ad mandatum Eleazari summi pontificis Iudaeorum, pro ornamento amplissimae totius orbis terrarum bibliothecae, LXX. interpretes adiculis separati sacram scripturam & Hebraico idiomate in Graecum ita conformiter transtulerint, ut non modo eandem sententiam, sed etiam verba singuli obseruauerint. Ammianus lib. 22. Alexandriam verticem omnium ciuitatum appellat. Herodianus lib. 7. post Romanam illi primum locum tribuit. Merito igitur id agente diuino numine, inquit Baronius anno 64. num. 13. subiit in mentem Petri pastoris omnium, ut dilectissimum discipulum Marcum mitteret Alexandriam, ut ibi euangelium praedicaret, vbi velut in quodam orbis theatro ex Asia, Africa, & Europa tot gentes essent simul collectae. Sedem Alexandrinam sedi Antiochenae prius institutae praeponi, magna laus urbis est. Praefectura Alexandrina ab Augusto, a quo Augustalis denominabatur, magnificentissime praeter ceteris ab eodem nobilitata fuerat. Praefectura Syriae, cuius metropolis erat Antiochia secundas sibi vendicabat, ideoque factum, inquit Baronius anno 39. num. 10. ut illa post Romanam primum, Antiochena secundum locum obtinuerit. Vide quae diximus supra in notis ad epistolam Anacleti 3. Vide Baronium anno 233. num. 18.*

Translatio  
 sanctae scri-  
 pturae per  
 70. inter-  
 pretes vbi

Alexandri-  
 na ecclesia  
 patriarcha-  
 lis.

## EPISTOLA SYNODICA.

*Sancta Synodus Alexandriae congregata ex Aegypto, Thebaide,  
Libya, Pentapoli, omnibus ubique ecclesiae catholicae  
episcopis dilectis & desideratissimis fratribus  
in Christo salutem.*

POTERAMVS quidem, dilectissimi fratres, etiam statim ab initio conflatae in Athanasium comministrum nostrum criminationis, deinde post eius Alexandriae ingressum, respondere super fictis criminibus Eusebianorum, eosquede iniuriis in eum illatis accusare, simulque ostendere, quam nihil nisi meras calumnias obiecissent. Sed quia tempora illa nihil tale permittebant, ut & ipsi nostis, & quia arbitraremur, post restitutionem episcopi Athanasii, eos vultum submittere, & pudore in tam apertis iniuriis suffundi, putauimus rem silentio transmittendam esse, maxime post tantas eius viri calamitates, profectio- nemque, & vitam relicta domo peregre actam, post tanta pericula, quibus minimo minus perierat, rem vrgentibus calumniosis hominibus, nisi humanitas imperatoris obstitisset. Tot malis cum nemo non hostium etiam crudelissimorum exsatiari potuisset, ipsi tamen effrontes insatiabilesque permanent, sauiuntque denuo & in ecclesiam & in Athanasium, aegre ferentes illius liberationem, ac proinde atrociora molientes, cupide ad nouas criminationes profiliunt, nec timent illud quod in sacris literis scriptum est: *Falsus testis impunitus non erit: & Os quod mentitur occidit animam.* Ideo fit ut silentium diutius retinere nequeamus: admiramurque eorum malitiam, & insatiabilem in insidiis struendis peruicaciam. Ecce enim nulla sumpta quiete rursus imperatoris aures contra nos irri- tant, neque vsquam cessant literas parricidales scribere, quo Athanasium ipsorum haeresi aduersum e medio tollant. Siquidem iam denuo accusatrices literas contra Athanasium imperatoribus porrexere, iteratis calumniis homicidia ei obiicientes quae nunquam facta sunt, ac denuo illum coniurationibus suis opprimere student, impu- tatis caedibus quae nunquam factae sunt: & fortasse tunc eum calumniis suis interfecissent, nisi humanum princi-

*Prax. 19.  
Sap. 1.*

ANNO  
 CHRISTI  
 359.

pem nacti fuiffemus, eundemque denuo, vt quod minimum malorum referamus, in exilium protudere fatagunt, & ob id calamitates exulum quasi ab eo facta se deplorare simulant, cum reuera plorent, nihil a nobis tale designatum esse, neque priores in illum iniuriæ ipsorum animis sufficiunt, sed noua & atrociora illis accumulata volunt, homines scilicet admodum mansueti & moribus æquis, vel, quod verius est, improbi & perquam acerbi, qui terroribus & minis potius quam pietate & æquitate, quod episcopos decet, ad pœnas deproperant. Tot enim cædes hominumque mactationes, quas ne profanus quidem homo & curiosus & coniectator criminum in calumniis diceret, ea ipsi effundere minime veriti sunt, non solum apud præsidem aut alium quemuis magnum virum, sed & apud tres Augustos, neque in eam rem longitudines itinerum illis graues fuere, dummodo omnia maiora tribunalia calumniis implerent: calumnia enim est quam tentant, eaque grauissima, & maxime omnium capitalis, idque in summis omnium rerum humanarum tribunalibus. Quis enim alius istius quæstionis finis, nisi vt mors regio tumultu inferatur? Non igitur Athanasii, sed illorum acta luctum lamentationemque merentur, ipsosque rectius deploratos habueris: in ipsos enim ploratus congruit; si quidem scriptum est: *Nolite deslere mortuum, neque lugere, sed complorare comploratione egredientem, quia non amplius reuertetur.* Tota enim eorum accusatrix epistola nihil aliud nisi necem spectat, aut necem moliuntur, si ipsis liceat, aut saltem exules facere, quod & impetrauerunt ab religiosissimo Cæsaris patre, qui iras ipsorum offensasque, cum supplicium capitale posceretur, exilio damnatorum expleuit. Ista opera ethnicorum sunt, & non vel tenuiter Christianorum, & minime omnium episcoporum, quos aliis iusticiam commonstrare oportuit, idque vestram arbitramur in Christo conscientiam bene & luculenter perspicere. Cur enim qui alios ab accusando deterrent, seipsos accusatores conspectui imperatoris præbuerunt: aut cur qui alias calamitates miserorum lacrymis persequi oportere docent, ne ab exilio quidem nostro se quieti tradunt? Publica enim omnium episcoporum nostrorum profligatio ex suis sedibus extermi-

natioque facta est, qui ut nos antea pro exulibus habuerunt, ita nunc cum Athanasio patriæ redditi, pro superioribus doloribus lacrymisque, quibus eius vicem miserabamur, maximam vicissim hilaritatem & gaudium recepimus, quod utinam Dominus, ne ab Eusebianis subuertatur, nobis incolume seruet. Iam si fides in criminibus quæ obiecere fuisset, hoc ipsum tamen criminofum est quod contra statuta Christianorum, post acerbiteriam exiliorum aliarumque calamitatum denuo inuadunt, cædes hominum stragesque obiicientes, & huiusmodi criminationibus imperatorias aures obtundunt. Iam cum omnia mentiantur, nihilque nisi calumnias afferant, nec in eorum literis quidquam sit veri, quam multiplex putas in hoc conatu scelus, & quam scelerati illi haberi debeant? Rem igitur aggrediemur, eorumque calumniis occurremus. Nam hinc quoque priora illa, quæ vel de Synodo vel de iudicio habito iactitant, non recte facta esse, imo falsa esse, comprobantur, ipsis interim denuo ea de causa condemnandis. Pudet nos certe istius defensionis, verum quia temerarii nostri criminatores ad omnia calumnianda se promptos offerunt, & quia post Athanasii ingressum, cædes & homicidia obiiciunt patrata esse, necessum est nostri excusationem tametsi prolixiusculam, quia res ita cogit, cum venia audiatis. Cædes omnino nulla neque ab Athanasio neque per Athanasium commissa est, quapropter cum ad hanc inexpectatam defensionem aduersariorum iniquitate propellamur, nonnihil indulgendum est necessitati excusationis. Cædes igitur & vincula aliena sunt a nostra ecclesia, carnifici neminem vnquam Athanasius dedit, neque carcerem, quantum in ipso fuit, vinculis tradendis fatigauit. Sacraria nostra, ut in præsentia, ita etiam semper pura innocentiaque fuere, non nisi Christi sanguine eiusque cultu sanctificata, neque presbyter neque diaconus ab Athanasio interfectus est, neque eadem vlli aut exilium irrogauit. Utinam illi qui veram persecutionem induxerunt nihil tale contra eum perpetrassent. Nullus enim opera eius patria excidit: ipse autem ab istis in exilium actus est, quem nunc iterum, quia ab ea relegatione liber dimittitur, grauioribus criminibus repetentes, linguam suam ad omnia falsa & crudelia exacuunt.

Quinimo

ANNO  
 CHRISTI  
 339.

Quinimo iudicum acta & damnatos a praefecto Ægypti, ut ipsi in suis scriptis fatentur, ad Athanasii culpam transferunt, adeo nihil illos pudet: scævitia Athanasii imputant, cum Athanasius per id tempus nondum Alexandriam ingressus fuisset, & per Syriam in itinere ab exilio reuertetur. Quod si longinqua absentia excusationem affert, ne quis reus habeatur eorum quæ praeses aut praefectus Ægypti fecerit, quid Athanasio remotius a crimine, qui si vel in ipsa Alexandria fuisset, quid tamē illi, quæso, cum negotiis praefecti? Atqui in illis locis non erat, neque ad ea quæ acta sunt a praefecto res ecclesiasticæ occasionem dederunt, sed vnde id natum sit, ex monumentis actorum intelligetis, quæ nos, cognitis illorum scriptis, & re perquam diligenter explorata, ad vos transmisiimus. Igitur cum & nunc ea, quæ neque ab eo neque per eum facta sint, quasi facta sint occlament, & tot testibus se certiores factos videri velint, optarim mihi indicarent cuius Synodi actis argumentisve aut iudiciis rem ita se habere didicerunt. Quod si nihil tale pro se habent, temereque omnia affirmant, vestris animis cogitandum relinquimus, quid & prius factum sit, & nunc factum esse ab istis fingitur. Nihil enim aliud vestris animis apparebit quam calumnia, & defendendæ impietatis contra pietatem rabiosus furor, & ob id vnum agi, ut tollantur e medio orthodoxi, quo inde cum securitate prædicent quidquid libuerit impietatis patronis. Et certe rem ita se habuisse comperietis. Cum enim Arius, vnde Ariomanitarum hæresis conflata est, ab ecclesia per beatum episcopum Alexandrum eiectus esset, Eusebiani discipuli pariter & socii impietatis, semetipsos eiectos esse arbitantes, multis adhortationibus Alexandro scripserunt, ne Arium extra ecclesiam relinqueret. Alexandro autem ob pietatem in Christum hominem impium non recipiente, in Athanasium eius diaconum iras auertunt, & quia eum assiduum esse apud Alexandrū, & in precio haberi curiose animaduertent, & quia iam antea eius pro Christo pietatem in Synodo Nicensi, vbi cum magna libertate contra Ariam hæresim disseruerat, experti essent, in grauissimum odium exarserunt: vbi autem Deus eum ad episcopatum prouexerat, veterem iam olim malitiam refouentes,

Concil. Tom. 2.

K K K K

veriti illius orthodoxam mentem, & in resistendo contra impietatem robur, conscientia vecordes omnibus rationibus coniurationes in eum coquebant, princepsque hac in re Eusebius fuit, conscientia suae furis agitatus praecipuus. Caesarem igitur contra Athanasium irritant, & Synodos minantur. Postremo Tyri in Concilium coierunt, adeo ut ne nunc quidem contra eum scribendi otium admittant prorsus implacabiles, & quorum querelis nunquam satisfacias, ut qui constitutionem episcopatus Athanasii tamquam non legitime celebratam cauillationibus arrodant, nusquam non homini infesti, ut saltem mendacis eum infamem reddant, quae tamen nunc ex priorum mendaciorum vanitate falsa esse deprehenduntur. Aiunt igitur post obitum episcopi Alexandri, cum paucissimi essent, qui Athanasii mentionem facerent, sex aut septem episcopos clanculum & in loco obscuro eum praesulem elegerunt. Haec eadem illi, quibus nullum mendaciorum genus reformidandum videtur, imperatoribus scripsere. Nos autem contra, cum tota ciuitate & vniuersa prouincia testamur, omnem multitudinem populumque catholicae ecclesiae in vnum coactum, quasi in speciem vnus corporis & animae, clamoribus vociferationibusque postulasse Athanasium ecclesiae episcopum dari, idque publicis votis a Christo expetiisse: nosque ut faceremus, per multos dies ac noctes iureiurando obtestatos fuisse, cum interea nec ipsi ab ecclesia discederent, neque nobis discedendi facultatem permetterent, hoc nostrum totiusque ciuitatis & vniuersae prouinciae testimonium nec mali quidquam de eo quod ab ipsis fit, pronuntiamus: sed optima quaeque praedicamus, bonum illum esse, religiosum, Christianum, deuotarium, & vere episcopum. Porro quod nostrum plerique sub omnium oculis acclamationibusque Athanasium episcopum creauerint, nos ipsos in testes offerimus, quibus ut auctoribus ordinationis, maior quam istis, qui & tunc aberant & nunc mentiuntur, fides haberi debet, quamquam nihil ea re impeditus Eusebius creationem vituperat, homo qui ipse prorsus episcopus creatus non est, aut, si vnquam ius episcopi habuit, id ipsum rescidit, ut qui principio Beryti pro episcopo egerit, relictoque Beryto Nicomediam

ANNO  
CHRISTI  
339.

IULIUS ALEXANDRINVM. CONSTANTINVS } IMP. 627  
P. I. CONSTANTIYS }  
CONSTANS }

se transtulerit, illam quidem cathedram præter leges de-  
stituens, istam vero nulla lege inuadens, proprii gregis  
sine vlla caritate defertor, & alieni nulla rationabili cau-  
sa occupator, prioris episcopatus caritatem alieni cupi-  
dine aspernatus est, nec tamen illum ipsum episcopatum,  
quem tanta auuiditate occupauerat, reseruauit. Ecce  
enim iam denuo inde defiliens, alienum episcopatum ar-  
ripuit, semper aliorum ciuitates oculis per inuidiam ad-  
iectis oblimat atque arrodit, persuasus in magnitudine  
vrbium religionem esse sitam, & sortem Dei, secundum  
quam constitutus ordinatusque est, pro nihilo ducit;  
ignarus scilicet Dominum, vbi duo aut tres in eius no-  
mine congregati fuerint, in medio esse, nec secum reco-  
gitans dictum illud Apostoli, quo profiteretur se in alienis  
laboribus non gloriaturum, neque præ oculis habens il-  
lius præceptum: *Alligatus es uxori, ne quære solutionem:* 1. Cor. 7.  
quod si hoc de vxore dictum est, quanto magis de eccle-  
sia, atque adeo de episcopatu, cui cum quis alligatus est,  
alium quærere non debet, ne adulter in sacris literis de-  
prehendatur. Horum sibimetipse conscius, ausus est ta-  
men creationem Athanasii omnium eulogiis contestatam  
calumniari, nec veretur ei obiicere eius dignitatis exau-  
ctorationem, ipse interim maxime exauctoratus, vt qui  
sux exauctorationis testimonium & argumentum in ipsa sui  
constitutione ostendat. Qui igitur vel ipse vel Theognius  
potuerunt alios deponere, ipsi depositi & exauctorati,  
& vitio suæ creationis famosi? Bene siquidem cognitum  
habetis, Amphionem Nicomediæ, Chrestum vero Ni-  
cææ, in eorum locum, ob impietatem & communio-  
nem, quam cum Arianis a Nicæno Concilio reproba-  
tis habuerant, episcopos constitutos esse. Hanc igitur  
Synodum perditam cupientes, suum iniustum Concilia-  
bulum Synodum videri student, & Nicæni Concilii de-  
creta irrita, sua autem rata volunt: & Synodi vocabulo  
vti audent, qui tantæ Synodo non obtemperant. Nihil  
illis Synodi curæ sunt, sed inanem speciem Synodi præ-  
texunt, vt sublatis orthodoxis viris, ea quæ veræ & ma-  
gnæ Synodo de Arianis statuta sunt, demoliantur, in-  
terim tamen illi Arianos & semper antea, & etiam nunc  
in præsentia patrocínio suo tegentes, contra Athanasium

*Concil. Tom. 2.*

K K K K ij

episcopum mendacia fingere non reformidant : prorsus enim eiusdem vanitatis sunt cum superioribus , quæ nunc fingunt fuisse , scilicet in Athanasii introitu seditiones , luctus populorumque lamentationes indigne ferentium illius creationem. Nihil ibi tale contigit , sed potius omnia contraria , gaudia scilicet , animorumque alacritates & populorum desiderio videndi hominis accursus , ubique per ecclesias lætitiæ & gratulationes ad Dominum. Ministri autem & clerici ita eum intuebantur , vt & animis gaudium conciperent , & illum diem omnium faustissimum arbitrarentur : nostram autem , qui episcopissimus , inenarrabilem lætitiæ quid opus est scribere , cum iam antea testati sumus quidquid ei acciderit nobis videri accidere ? Iam cum ipsi in re confessæ certaque contraria dicant , quam fidem merebitur illorum siue Concilium siue iudicium , quod pro se tantopere iactitant ? Quid ita inuadunt insultantque actis quæ nec viderunt , nec iudicarunt , nec interfuerunt tamquam maxime earum rerum conscii , idque scripto protestantur , quomodo ipsi in suis actis , ob quæ se Conuentus habuisse dicunt graues verique haberi poterint , vt non credas etiam ista ab illis itidem vt illa per odium simultatemque instituta fuisse ? Quis enim ibi Conuentus episcoporum , aut confessus veri studiosus ? Quis non ex plerisque noster inimicus ? Nonne Eusebius Eusebianique studio Arianismi ad id Concilium perrexerunt , reliquis eiusdem secum sententiæ adductis ? Nonne & nos contra eosdem homines eo nomine quod Arianicæ opinionis essent scripta euulgauimus ? Nonne Eusebius Cæsariensis de immolatione idolorum a nostris confessoribus accusatus fuit ? numquid non de Georgio probatum fuit eum ab ordine sui sacerdotii a beato Alexandro reiectum fuisse ? Nonne ceteri de aliis atque aliis criminibus notam censuramque passi sunt ? Quo iure igitur isti contra nos Synodum vllam constituere potuerunt ? aut qua fronte talem Conuentum Synodum appellare audent , cui comes præfedit ? & vbi spiculator apparebat ? & commentariensis siue carcerarius pro diaconis ecclesiæ aduentantes introducebat ? vbi comes verba faciebat , ceteri præsentés in silentio erant , vel potius comiti obse-

ANNO  
 CHRISTI  
 339.

quum suum accommodabant? vbi quod communiter  
 episcopis placuit ab illo impediatur? Ille imperio ute-  
 batur, nos a militibus ducebatur, vel potius iussis Euse-  
 bianorum, sententiisque ipse comes inseruiebat. In sum-  
 ma, dilectissimi, quæ species ibi Synodi, vbi vel cædes vel  
 exilium, si Cæsari placuisset, constituebatur? Iam si quid  
 in accusando sit actum quæras, longe maiori admiratio-  
 ne capieris. Arsenium quemdam occisum ab Athanasio  
 criminabantur, & poculum mysticum fractum esse. At  
 Arsenius iste in vita superest, & placet sibi de vestra com-  
 munionem, neque aliunde testimonia expectat, vt viuus  
 esse doceatur, sed ipse sese confitetur viuere, idque in lite-  
 ris suis ad coepiscopum nostrum Athanasium perscripsit,  
 quem isti Arsenii interfectorem asseuerabant. Nec pu-  
 duit impios hominem tanta intercapedine locorum & iti-  
 neribus terra marique disunctum ab eo occisum com-  
 minisci, cuius per illa tempora locus vbi agebat nemini  
 mortalium cognitus fuit, adeo ille nullo dum attactus  
 malo ab accusatoribus celabatur, quem quoad licuit in  
 alium orbem transtulerant occisuri eum libenter, vt ho-  
 mine vere extincto, Athanasium quasi de certa cæde con-  
 uictum occidere possent. Sed diuinæ hic prouidentiae gra-  
 tiæ agenda sunt, quæ nihil iniusti inualefcere sinit, Arse-  
 niumque sub omnium oculos viuum produxit, dilucide  
 sua præsentia calumnias eorum & figmenta retegentem.  
 Qui nos nequaquam vt interfectores suos auersatur, aut vt  
 iniuriosos odit: nihil enim mali a nobis passus est, sed no-  
 stræ communionis auidus in nostro grege conuersari cu-  
 pit, quod ipsius scripta declarant: sed hoc nihil Athanasio  
 profuit, qui oppressus calumnia quasi verus homicida ab  
 illis in exilium actus est. Non enim parens imperatorum,  
 sed horum calumniæ illum in exilium exterminauerunt.  
 Animaduertite, quæso, num ita se habeat, vt dicimus.  
 Cum nihil culpæ in comministro nostro Athanasio repe-  
 rirerit, comesque summa vi imminens plura contra Atha-  
 nasium moliretur: episcopus comitis violentiam fugiens,  
 ad religiosissimum imperatorem ascendit, deprecans &  
 iniquitatem hominis & aduersariorum calumnias, postu-  
 lansque vt legitima episcoporum Synodus indiceretur,  
 aut ipse audiret suam defensionem. Imperator rei indigni-

tate motus, scriptis suis accusatores citat, suamque ipsius audientiam promittens, simulque Synodum indici iubet. Eusebiani autem ubi comparuissent nihil inter accusandum de obiectis Tyri criminibus meminere. Sed frumentum ab Athanasio nauesque detentas calumniati sunt, eumque gloriatum esse dixere, quod frumenti deportationem ex Alexandria Constantinopolim impedire possent. Hæc nonnulli ex nostris qui in Synodo erant ex imperatore comminationis pleno audierunt. Hic cum Athanasius ad tantas calumnias ingemisceret, affirmaretque eas falsas esse, nec fieri posse ut homo priuatus & pauper tantum virium haberet, Eusebius, ne publice quidem detrectans calumniatoris munus, deierauit Athanasium perquam opulentum esse, & satis virium & auctoritatis ad ista omnia patranda habere, ut ita verisimilior calumnia videretur. Ad istum modum res actæ sunt per sanctos illos & venerandos sycophantas episcopos. Sed Dei gratia plus in hoc negotio valuit, quam illorum scelerata malitia, quæ principis animum religiosum ad clementiam retraxit, ut satis haberet pro morte exilium irrogare. Horum omnium malorum causæ non alibi, quam in illorum calumniis consistunt, quorum dolos fute lasque criminum imperator antea scriptis suis cum execratione improbauit, calumniasque detestatus Meletianos nefarios dirisque deuouendos, aliisque grauissimis nominibus in suo diplomate appellauit, ut qui grauissime ferret eadem hominis viui obiectam esse, & de viuento & incolumi homicidium fictum esse. Nos autem epistolam, ubi imperator hæc scribit, istuc ad vos misimus. At præclari Eusebiani quo veritatem scriptaque sua obliterent, nomen Synodi suis actis prætexunt, cum res ipsa negotium imperatorium, non synodale haberi debeat, quippe ubi comes præsideat, & milites episcopos sub satellitio cingant, & imperialia edicta quos ipsi volunt coire compellant. Iam quæso vel hinc incredibiles eorum insidias animaduerte, & quam in audendo varii sint & versipelles, modo quacumque ratione hominem e medio tollant. Si enim veluti episcopi sese iudices volebant esse, quid opus erat vel comite vel militibus aut edictis ad coeundum imperialibus? Quod si Cæsare indigebant, & ab eo acta robur

accipere voluerunt, quo iure ipsi iudicium Cæsaris irri-  
 tum fecere? aut qua de causa, cum Cæsar Meletianos &  
 calumniatores & nefarios non sine detestatione, ob cæ-  
 dem de viuo homine confictam, Athanasium vero inno-  
 centissimum suis scriptis pronuntiarit, ipsi Meletianos ve-  
 rum dicere, & Athanasium reum esse definiunt, nulla  
 cum verecundia hominem viuum pro occiso imputantes?  
 qui & quo tempore hoc iudicium Cæsar proferret, & cum  
 ipsi ad sententiam confandam in vnum coirent, nobiscum  
 viuebat. Hactenus de Arsenio. Poculum autem mysti-  
 cum, quod, aut quonam in loco a Macario fractum est?  
 id enim sursum ac deorsum obuolitantes iactitant. Atqui  
 Athanasium ne accusatores quidem ausi fuissent eius cri-  
 minis incescere, nisi ab ipsis summissi instructique fuissent.  
 Sed tamen illi summam eius criminis in Athanasium refe-  
 runt, quod ne in Macarium quidem, qui victus non est,  
 referri debet. Nec pudet eos coram catechumenis, &  
 quod peius est, coram ethnicis ita de mysteriis tragicari:  
 cum oporteat, sicut scriptum est, *mysterium regis celare*, & vt Tob. 12.  
 Dominus præcipit, non esse sancta porrigenda canibus, ne Matth. 7.  
 que proiciendas margaritas ante porcos. Non enim fas est  
 mysteria gentibus prodere, ne per imperitiam ea subsan-  
 nent, aut catechumeni per curiositatem scandalizentur.  
 Sed tamen quodnam poculum, quo in loco, vel apud quos  
 comminuit? Meletiani scilicet sunt, qui hic se accusatores  
 præbent, homines prorsus fide indigni, vt & schismatici, &  
 hostes ecclesiæ, neque ii noui aut recentes, sed vetusti iam  
 olim a temporibus beati Petri episcopi & martyris, cui  
 insidias posuerunt, & Achillæ eius successoris, quem ca-  
 lumniati sunt, & Alexandri, quem vsque ad tribunalia  
 Cæsaris calumniis persecuti sunt, & postremo ita medi-  
 tandis criminibus exercitati Athanasium inuaserunt, ni-  
 hil alienum a sua malitia facientes. Vt enim Athanasii an-  
 tecessores, ita quoque & ipsum Athanasium calumnian-  
 tur, quorum calumniæ antea inefficaces, nunc tandem  
 successum habuere: ex quo Eusebianos in gratiam Aria-  
 næ impietatis socios & patronos adepti sunt, pro qua tuen-  
 da vt in multos alios episcopos, ita quoque in Athanasium  
 conspirationes faciunt. Atqui locus ille, in quo confractum  
 poculum iactitant, ecclesia non erat, nec quisquam

presbyterorum ei loco vicinus, nec dies, qua id factum a Macario volunt, dominica. Cum igitur neque ecclesia ibi esset, neque sacra fierent, neque dies hoc ipsum requiret, quale, aut quando, aut ubi mysticum illud poculum fractum est? pocula multa passim in ædibus, atque adeo in medio foro haberi nemini dubium, quæ collisa collidentem non impiant. Mysticum autem poculum quod impium eum reddit qui id ultro frangit, nusquam nisi apud legitimos ecclesiæ præfides inuenias: hic enim vnus vsus est calicis, & præter eum alius nullus, eoque solo vos legitimo ritu propinatis populo, eumque vos pro Canone ecclesiastico accepistis; idemque dumtaxat penes eos habetur qui ecclesiis præfunt. Solum enim vestrum est propinare sanguinem Christi, & præterea nullius. Ceterum vt impius est qui hunc mysticum calicem frangit, ita multo magis impius est qui sanguini Christi contumeliam facit; contumeliam autem facit qui præter ecclesiasticam institutionem calice illo abutitur. Et hæc quidem eo a nobis dicuntur, non quod vel schismaticum poculum Macarius fregerit, sed quod ibi omnino nullum fuerit: qui enim fieri potuit, cum nec ipse locus dominicus esset, neque quispiam ibi ecclesiasticus, atque adeo ne tempus quidem mysteriorum ageretur? Presbyter autem qui fingitur adfuisse, est ille toties rumoribus iactatus Ischyas, qui neque ab ecclesia ordinatus est presbyter, neque, cum a Meletio constitutos presbyteros Alexander in ecclesiam recipiebat, in eorum numero vnquam habitus fuit, aut ab eo creatus: quo pacto igitur presbyter Ischyas, aut quo tandem auctore constitutus? numquid scilicet a Colutho? id enim restat: atqui Coluthum in gradu presbyterii mortuum, omnemque eius manuum impositionem rescissam, omnesque ab eo constitutos in laicorum ordinem redactos esse, & sub nomine laicorum ad synaxim admissos, adeo apud omnes constat, vt nemo ea de re dubitandum putet. Quomodo igitur homo priuatus, & priuatas ædes inhabitans, poculum mysticum sibi concreditum habuit? Sed illi hominem priuatum presbyterum appellant, & in nostram iniuriam hoc nomen illi indiderunt, eidemque pro mercede calumniarum ædificandæ ecclesiæ potestatem conciliarunt. Qui ergo per id tempus nullam habuit eccle-

ANNO  
 CHRISTI  
 319.

ecclesiam, nunc ad compensationem sceleris obsequiique  
 in accusando præstiti, ecclesiam accepit, forsitan etiam  
 episcopatu donandus: id enim passim iactitat, & minis fre-  
 mit, talia, proh dolor, præmia deinceps per episcopos accu-  
 satoribus & sycophantis deferuntur. Neque id immeri-  
 to; quem enim administrum suæ libidinis habuere, & eum  
 ut rerum consiliorumque socium consimili episcopatu  
 dignum censuere. Obsecro igitur ut non hæcenus tan-  
 tum sed ad sequentia quoque vos attentos præbeatis, ut  
 cognoscere possitis quid deinde ab illis factum sit. Impa-  
 res ergo veritati, quamquam se omnibus modis commu-  
 niant, eo quod Ischyra Tyri pro calumniatore habitus  
 nihil probare posset, & ipsa calumnia sua vanitate corruet,  
 iudicium causæ suspensum voluere, donec de proba-  
 tionibus constaret: promittunt igitur se aliquot ex suis  
 Mareoten amandatos, qui rem curiose scrutarentur,  
 quos vos euestigio multis de causis reiiciendos docui-  
 mus, in primis quod & Ariani essent, & propter Ariani-  
 smum nobis propalam infensi. Verum illi potentia ma-  
 gistratum freti, clam emittunt Diognium Marim, Theo-  
 dorum Macedonium, annis ingeniusque putidos & ve-  
 nales, his addunt Vrsacium & Valentem homines Pan-  
 nonios, qui ab vltimis illis finibus Tyrum profecti sunt,  
 ut sententiam in aduersarium dicerent, & post tantum  
 itineris e Tyro Alexandriam contenderunt, nullo cum  
 pudore, quod se ex iudicibus testes facerent. Quin potius  
 omnibus insidiandi rationibus propalam susceptis, quos-  
 uis labores itineraque subiere, ut calumniam semel ini-  
 tam absoluerent. Hostes ergo Athanasii, Athanasio pere-  
 gre detento, Alexandriam in populum ecclesiamque de-  
 bacchaturi contendunt. Imo, quod absurdus est, Ischyra  
 accusatore secum adducto Macarium reum custodiis Ty-  
 ri inclusum non permiserunt in comitatu hære, quem  
 antea sub prætextu eius criminis sursum deorsumque ra-  
 ptauerant. Soli igitur Alexandriam cum accusatore Ischyra  
 ipsorum contubernali sodale compotatore ingressi, assum-  
 pto vna præfecto Ægypti Philagrion, in Mareoten absc-  
 dunt, atque illi soli pro libidine sua cum Philagrion qua-  
 sitionibus incumbunt, nulla permessa presbyteris adeundi  
 facultate, quamquã id multis precibus requirerent: erant

autem illi? qui hæc postulabant, omnes tum Alexandrinæ ciuitatis tum vniuersæ prouinciæ presbyteri, petentes, vt sibi ostendere liceret, quosnam testes Ischyras subornasset, & quale hoc hominum genus & ciuitates essent. Sacrorum igitur ministris exclusis, coram ethnicis hominibus quæstiones de ecclesia, de calice, de mensa Domini, de sanctis sanctorum habuere, & quod grauius est, ethnicos in quæstione de mystico poculo in testes citauerunt, & quinam illud ab Athanasio rapuissent, catholici interpellatione definierunt, nec puduit eos eorum testimonia coram se, & solo dumtaxat præfecto recipere, qui vnde gentium essent ignorabant, nec veriti sunt eos dicere ab Athanasio occisos, quorum testimoniis aduersus Athanasium abusi sunt. Quinimo necem Athanasio molientes, nouis mendaciis fabulam de eumentita cæde Arsenii imitantur, eosque, qui viui sunt mortuos fingunt, & vt interfectos qui adhuc supersunt, & hominum oculis in suis sedibus apparent, apud vos longe inde semotos miserrime deplorant, vt cum e longinquo petenda sint rerum documenta, nostrum in sacris ministeriis collegam Athanasium calumniari possint, quasi vi & potentia grassantem, cum ipsi per vim & potentiam omnia agant. Eadem enim denuo apud Mareoten, quæ Tyri designata sunt. Vt enim illic comes erat cum militari satellitio nihil quod ipsis displiceret aut dici aut fieri permittens, ita quoque & hic præfectus Ægypti manu militari succinctus, omnes ecclesiasticos terrefaciens, nulli permisit ex vero testimonium dicere, & quod absurdus est, in ipsis adibus accusatoris & commorabantur, & quæstionibus operam dandam, prout libuit, decernebant, eoque tam iudices quam testes, ceterisque eiusdem studii, vel, quod verius est, Eusebianæ factionis administri, conueniebant. Quæ porro Alexandria ausi sunt, arbitramur vobis non ignota esse, cum ea vbique gentium fama diulgata sit, strictos scilicet gladios in sanctas virgines & fratres intentatos, flagella preciosis apud Deum corporibus incussa, pedesque fustigationibus ad claudicationem illis mutilatos esse, quæ mentem in castitate & in omnibus solidis bonis exercebant, calumnias quoque vbique infestas fuisse: gentilium vulgus interim nudare corpora virginum, verberare, libidinari, & virginibus aras idolorum

ANNO  
 CHRISTI  
 339.

victimasque interminari, adeo vt homo quidam proter-  
 uus, veluti istiusmodi potestas iam deinceps concessa esset  
 in gratiam episcoporum, virginem manu arreptam ad al-  
 tare, quod forte obuium erat, protraxit, necessitatem  
 sacrificandi & vim persecutionis representans: inter hæc  
 scelera virgines fugere, ethnici ecclesiæ insultare, episco-  
 pis in illis ipsis ædibus, vbi ista perpetrabantur, versanti-  
 bus, in quorum gratiam virgines miseræ strictos gladios,  
 omnia genera periculorum, & quamlibet contumeliam  
 & debacchationem experiri coactæ sunt. Et hæc quidem  
 passi sunt ipso ieiunii die a coepulonibus episcoporum,  
 cum quibus conuiuium agitabant, episcopis intus epulan-  
 tibus. Hæc cum futura prouideremus, nec vulgarem, sed  
 quasi ex hostili incurfu vastitatem, detrectaui fateor hoc  
 genus iudicii. Ea res igitur cum Alexandri Theffaloni-  
 censis episcopi animum permouisset, scripsit ad eos qui  
 Tyri adhuc commorabantur, nihil nisi per coniurationem  
 & calumniam cum Athanasio agi. Quod si eum in suo gre-  
 ge annumerent, sociumque suæ factionis iactitent, eo ipso  
 vim suam in hominem, qua illi subscriptionem expresse-  
 runt, declarabunt, nec mirum cum ipse quoque omnibus  
 modis sceleratissimus Ischyas, non sponte, sed malo coa-  
 ctus, prouincias nos reos faciendi susceperit, pro docu-  
 mento sunt eius ad coepiscopum nostrum Athanasium epi-  
 stola, quibus testatur nihil tale ibi actum fuisse, sed se sub-  
 ornatum esse, vt hæc fingeret, scripsitque illa, cum nec pro  
 presbytero ab Athanasio agnosceretur, nec per gratiam  
 eum titulum obtinuisset, nec ius ædificandæ ecclesiæ pro re-  
 muneracione impetrasset, nec episcopatum in mercedem  
 expectaret, quæ omnia consecutus est ab Eusebianis ob  
 operam suam calumniæ impensam. Atque adeo eius cog-  
 nati nobiscum semper communioni coniuncti fuere,  
 non facturi scilicet, si vel tantillum iniuriæ a nobis acce-  
 pissent. Hæc non verbis, sed re constare, testes sunt om-  
 nes Mareotæ presbyteri, qui comites episcopo in obequi-  
 tationibus & itineribus fuere, & qui tum contra Ischyram  
 scripsere, quibusque nec tum, cum Tyrum venissent per-  
 missum fuit veritatem loqui, neque cum Mareotæ rema-  
 nerent, concessum fuit vt Ischyram calumniatorem refel-  
 lere liceret. Exemplaria autem literarum, tum Alexan-

dri, tum presbyterorum, tum ipsius Ischyra, vna misimus, quibus adiuncta epistola patris imperatorum, in qua non solum calumniam de Arsenii morte confictam detestatur magna cum indignatione, quod viui hominis caedes imputata sit, verumetiam in crimine mystici poculi valde admiratur tam versipellem & vagam calumniandi inconstantiam, quam nunc Macarium presbyterum, nunc Athanasium episcopum de calice confracto incusarint, ac proinde re cognita Meletianos iterum calumniatores, Athanasium vero innocentissimum pronuntiat. Qui quaso non pro calumniatoribus Meletiani habere debeant, & inter Meletianos praecipue Ioannes, qui vbi ipse suam de calice confracto sycophantiam agnouisset, ac proinde in communionem a nobis receptus esset, animaduertens Eusebianos studiis animisque cum Meletianis coire, communemque factionem alere, ita tamen vt illos propalam adiuuare nollent, sed alias ad id personas rerumque praetextus quaerent, obtulit illis suam veluti in scena histrionicam operam ad eam fabulam agendam, cuius argumentum erat Arianorum Agon. Primae autem partes dramatis, Arianorum successus, assutela vero & appendix Ioannes cum suis gregalibus, vt Arianorum studiosi sub istiusmodi occasione & specie iudicii, aduersarios impietatis e medio tollerent, & impietatem in locum pietatis inducerent, Arianosque in ecclesiis locarent, quo illi, qui pietatem exterminatam cuperent, per impietatem rerum potiri possent, & ii, qui partes impietatis contra Christum susceperant, hostes impietatis summouerent. Et iam calicem nobis proferunt confractum, vt videatur Athanasius in Christum impius esse. At quae cura mystici poculi ab illis expectanda est? aut vnde impietatis in Christum antesignanis vlla de mystico poculo religio? aut vnde illi qui Christum non cognoscunt poculum Christi cognitum habent? aut cur Domini calicem se in reuerentia habere simulant, qui Christum Dominum contumelia afficiunt? aut quonam pacto calicem deplorant, qui episcopum mysteria sacraque in eo facientem occidere satagunt, & quantum in ipsis est, iam occiderunt? Aut quanam ratione de lamentantur throni episcopaliter stolati vicem, qui episcopo in throno sedenti necem moliuntur, vt thronus

episcopum desideret, & populi pia doctrina spolientur: verum neque poculum illos, aut cædes, aut vllâ denique scelerum species quas prætexunt, sed sola Arianorum impietas huc adegit, in cuius solius gratiam, Athanasio & ceteris episcopis insidias faciunt. Atque etiam nunc ecclesiæ bellum inferunt. Age mihi ergo, videamus quinam habendi sint, quod cædes & exilia faciunt, nonne isti ipsi? Age, quinam sæcularium potestate ad insidias episcoporum abutuntur? nonne Eusebius cum suis, & nequaquam, vt ipsi scribunt, Athanasius, quem cum aliis multis hoc genere calamitatis affixerunt, & eodem tempore quatuor presbyteros Alexandria, quamquam Tyrum non venerant, e finibus suis exterminauerunt? Age, quinam luctu & lacrymis digna perpetrarunt, nonne isti qui & prima ista designarunt, & secunda cum primis conferere non recusant, omnia calumniis miscentes, vt episcopum impiæ suæ hæresi non cedentem e medio tollant? Hinc nimirum Eusebius cum suis infensas iras concepit, ob hoc Tyri species Synodi instituta est; eius rei gratia iudicia simulantur. Non alio scopo inaudita causa tamquam in re certa literæ ab illis passim circummissæ sunt, non alio scopo apud patrem Cæsarem, & apud ipsos religiosissimos imperatores calumnias suas intentarunt. Verum quid obrektionum passus sit Athanasius, sacrorum nobiscum comminister, necessarium relatu est, vt vel hinc deprehendatis, nihil illos aliud nisi cædem viri querere. Frumentum dabatur a patre imperatorum in alimentum viduarum, partim Libycarum, partim Ægyptiarum, quod etiamnum accipiunt, Athanasio nihil inde nisi operam & laborem referente. Interim dum & illæ perciperent, nec vlla querela esset, de non accepto alimento, idque ipsæ confiterentur, accusatur per calumniam Athanasius, quod vniuersum frumentum diuenditum in suos vsus seposuisset, certe hoc imperator istorum calumniis inductus, in suis literis conqueritur. Qui igitur calumniatores? nonne illi qui & primas illas calumnias texuerunt, & a secundis istis non abhorrent? Qui denique istarum literarum quæ ab imperatore missæ dicuntur, auctores fuisse? nonne Arianorum fautores? qui nihil quod huic viro noxam afferre posset, nec in dicendo nec in scribendo

subterfugiunt. Quis enim omiffis tantorum malorum auctoribus in alios istam fufpicionem deriuauerit? cum manifefiffime eorum calumnia pateat ex ftudio ipforum, quo ab ecclefia frumentum abalienare & transferre ad Arianos fatagunt: quæ culpa eos potiffimum auctores principesque habere videtur, qui calumniis apud imperatorem depositis nihil recufarunt, quo viro necem molirentur, & a clero ecclefie alimenta auerterent, vt ea fine omni dubio hæreticis in prædam cedant. Miffimus autem ad vos testimonia comminiftrorum noftrorum, qui in Libya, Pentapoli, & Ægypto degunt, vt etiam inde cognofcatis illorum in Athanafium fycophantias. Quod ideo faciunt, vt ceteris per metum, qui piæ opinionis funt, quiefcentibus, impia Arianorum hærefis introducatur. Nos autem veftræ prudentiæ gratias agimus, dilectiffimi, quod fæpius anathemate Arianos notafitis, neque illis locum in ecclefia dediftis. In proximo autem iam eft, vt ex rerum documentis appareat, quales Eufebiani funt. Ecce enim poft prima eorum de Arianis fcripta, quorum antigrapha ad vos miffimus, aperte iam Arianos homines atque eo nomine, ab vniuerfa ecclefia anathemate condemnatos, contra ecclefias irritant. Epifcopumque illis conftituunt, diuulfis a fe inuicem per metum ecclefiis, quo illis vbique fupperant cooperatores fuæ impietatis, ac proinde diaconos fuos ad Ariomanitas legant propalam cum Ariomanitis communionem fumpta, literisque vltro citroque miffitatis, ecclefiam in fchifma coniiiciunt, eaque paffim fcribunt, quæ & hærefim commendant, & ecclefiam conuiciis lacerant, vt ex literis eorum ad Romanorum epifcopum, & fortaffe ad vos ipfos fcriptis deprehendere potefitis. Quam igitur ifta inulta efle non debeant, etiam vos dilectiffimi animaduertitis: grauia enim funt & aliena a Chrifti doctrina. Hac certe de caufa in publico Conuentu de confilio omnium has literas ad vos dedimus, quibus oramus veftram in Chrifto prudentiam, vt recipiatis hanc de Athanafio conteftationem, & commercium, communionemque eius admittite, & zelum indignationemque contra Eufebianos, qui iftiusmodi tentant, induite, ne diutiis iftiusmodi prauitas & malitia contra ecclefiam inualefcant,

ANNO  
 CHRISTI  
 339.

vos certe vindices huius iniustitiæ imploramus, citantes illud apostolicum verbum : *Auferte mala ex vobis* : mala 1. Cor. 5. enim reuera sunt & indigna communione, quæ ab illis designantur. Ne igitur illis aurem præbueritis, si denuo ad vos contra Athanasium episcopum scribant. Quidquid enim ab illis proficiscitur, falsum est, etiamsi nostra Ægyptiorum episcoporum nomina epistolis suis adscribant. Certum enim est non nos eos esse, quorum nomina in scriptis subiiciunt, sed Meletianos homines perpetuo schismaticos, qui etiam nunc ecclesias turbant, & seditiones commouent, constitutiones enim absurdas, & propemodum ethnicas faciunt, eaque designant quæ quia abominamur scribere, ex nostris legatis, qui vobis hanc epistolam afferunt, cognoscere poteritis.

